EPITAPHIVM

SOPHIÆ SAXONICÆ.

Quo

ILLVSTRISSIMÆ AC PIENTISSIMÆ PRINCIPI, FRIDERICI VVILHELMI, SAXONVM DVCIS ILLVſtriſſimi, &c. Coniugi, 21. Iulij ſummo cum piorum gemitu in Haſſia defunctæ, debitæ gratitudinis & piæ recordationis ergò parentatum fuit in Academia Ienenſi 4. Auguſti

Conſcriptum

à

GEORGIO MYLIO D. & Profeſſore Theologo.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

1590.

IENÆ

Typis Tobiæ Steinmanni.

FRIDERICO VVILHELMO

ILLVSTRISSIMO SAXONIAE DVCI, LANDTGRAVIO THVRINGIAE, Marggrauio Miſniæ, &c.

Pietatis *Fautori*
Eccleſiæ *Nutritio*
Juſtitiæ *Vindici.*

Optimo
Clementiſsimo
Æquiſsimo.

In ſummo patriæ luctu dedicatum.

ORATIO

FVNEBRIS.

SI QVANTVM DOLOris acerbiſsimi, publicus luctus & triſtiſsimus illuſtriſsimæ Principis, iamq́ beatiſsimæ SOPHIAE obitus omnibus attulit, Concio ornatiſsima: tantum quoq; commoditatis cùm ad ſignificandum meum, tùm ad mitigandum etiam veſtrum dolorem, nulla interiecta mora, vel valetudo afflictior mihi conceſſiſſet, vel autoritas etiam publica tribuiſſet: nihil profectò habuiſſem antiquius, quàm vt ſtatim depromta oratione, partim quantus ad nos ex tam triſti fato, acerbitatis ſenſus rediĳſſet, teſtatum publicè feciſſem: partim ad leniendum dolorem acerbiſsimum remediĳ aliquid attuliſſem.

Sed quoniam, quantum ex optimæ ac pientiſſimæ Principis miſerabili fato, doloris caperemus, in fide ac pietate noſtra poſitum fuit: quàm verò commodum tempus ad ſignificandam doloris ſocietatem haberemus, non fuit: ſic perſuaſum habui, ſi, quod recenti re facere, cum magnoperè cuperemus, non ſatis commodè potuimus, tempori & neceſsitati

parendo in diem differamus, nihil id teſtificationi doloris noſtri honeſtiſsimæ præiudicaturum eſſe. Et verò ſi non ex vulgi opinione, aut ſolo conſuetudinis calculo: ſed ex veritate ipſa res iſta æſtimetur: teſtificatio hæc doloris noſtri paulò ſerius facta, non tam propter tarditatem aliquid de valore ſuo deperdere: quâm propter maturitatem aliquid autoritatis ac fidei acquirere videtur. Etenim quibus recens fama de beatiſsimæ Principis obitu magnum atq; acerbum dolorem commouit: his ſi nihil aliud, ſaltem geminati funeris triſtiſsimus aſpectus, ſaltem ipſa communis luctus acerbitas, ſenſum doloris afferre potuit. Nec hominem magis, quàm truncum, aut brutum certè, ac beſtiam iudicauerim: cui Hircanæ admôrunt vbera tigres, quem tam miſerabilis luctus publica acerbitas ad ſocietatem doloris non impelleret. Sed quantum intereſt inter ea, quæ cæco quaſi exemplo atq; imitatione fiunt, & ea, quæ cum ratione ſuſcipiuntur: quantum à ſubitaneo motu, conſtans duratio diſcrepat: quanto certius ex animi ipſius intuitu, quàm geſtuum conſpectu, iudicari facta hominum poſſunt: tanto plus fidei ac ponderis habere debet ea doloris noſtri teſtificatio, quæ iam fit, poſt elapſos dies aliquot,

quàm

quàm quæ tum fiebat, quando luctum omnia non ſuadere tantum: ſed cogere etiam videbantur. Neq́ vero hæc in eam ſententiam idcirco à me diſputantur, quod non libentiſsimè tunc etiam facturi fuiſſemus, quod nunc facimus, ſi res tuliſſet: aut verè minus à quoquam factum eſſe, quod à nobis quoq́ factum eſt, in recenti luctu iudicemus: Sed partim vt nemini eorum ex intervallo iſto temporis concedere nos teſtatum faciamus, qui ſummo etiam cum mœrore funeri illuſtriſsimo ſuperioribus diebus iuſta perſoluerunt: partim vt quemadmodum nuper in ſummo luctu & ſqualore tota hæc regio, quaſi funere efferretur Reſpubl, conſpecta fuit: ſic iuſtiſsimas eſſe cauſas oſtendamus, cur doloris tanti ægritudinem abſtergere ne longiſsimo quidem tempore poſsimus. Vidiſtis nuper Turingiam, cuius fluenta æſtuum ardoribus exiccata fuerant, nouis quaſi lachrymarum riuulis perfundi: ciuium oculos rubere, matronarum genas pluere conſpexiſtis: planctibus gemitibusq́ puellarum omnia circumſonare: querelis & lamentationibus plebis omnia impleri audiuiſtis. Ipſi etiam proceres & magnates, quorum in proſperis rebus ſpectata moderatio, in aduerſis cognita animi magnitudo fuit,

in tam triſti caſu cohibere dolorem non potuerunt, quasq; lachrymas grauitas & conſtantia retinere ac frenare conſueuerat, eas triſtiſsimi funeris miſeratio elicuit. Equidē alijs in rebus quærenda eſt fortitudinis & conſtantiæ laus. in tam graui vulnere, tam alieno tempore accepto, immanis quædam duritia foret, non commoueri, non ingemiſcere, non lachrymas profundere: ingratitudo ſumma, imò impietas, luctum cum exequijs terminare, vt is tumulus: qui corpus contegit, etiam laudis, beneficiorum ac virtutum memoriam obruiſſe videretur. Principem amiſimus, alieniſsimo tempore amiſimus, peregrè profectā amiſimus, & quod grauiſsimum eſt, grauidam, vicinamq; partui amiſimus, amiſimus nouum principem, hoc eſt, alterum FRIDERICUM VVILHELMUM *parituram. Ut hæc omnia taceam, qualem & quantā Principem, quanta non dicam indole, quod in tali ætate ſatis eſſe videretur, ſed quanta omnium regiarū virtutum copia præditum amiſimus? Non natalium ſplendorem, non parentum laudes, non patriæ claritatem, non infantiæ atq; adoleſcentiæ ornamenta commemoro: quæ partim inter fortunæ bona: partim in alienarum laudum cenſu præcipuè numeranda eſſe*

ſapien-

ſapientes exiſtimant. Quæ propriæ laudis & conſtantis virtutis fuiſſe videri debent in laudatiſsima iſta Principe, ea duntaxat oratione perſequor. Quæ quidem omnia non minora duco, quia in fœmina reperio. Noſtrum enim eſt virtutes non ſexu, ſed animo iudicare. Sed quo ſexus ipſe natura eſt infirmior, eò virtutes maiori laude dignas æſtimo, ſi ſexum ipſum aſſuefactio: & naturam, recta ratio ſuperet. Quod in Principe noſtra factũ eſſe, equidem cunctantius dicerem: ne cui magis ex affectu meo, quàm ex ipſa rei veritate viderer dicere: niſi me huc pertraheret eorum autoritas, quorũ omni exceptione maior fides eſt, imò res ipſa, & experientia publica impelleret. Poſtquã igitur diuina prouidentia beatiſsimam hanc Principem annos natam non amplius viginti, in illuſtriſsimo hoc matrimonio collocaſſet: incredibile dictu eſt, quantas illa ſtatim, quàmque, crebras illa ætate, quæ nihil cogitare alioquin, nihil loqui, præter luxũ, voluptates aut res ludicras, præcipuè in tanta fortuna ſolet, inuſitatæ prudentiæ ſignificationes dederit. De factis aliorum mentio fortè incidit. Hic illa præiudicijs neminẽ eſſe prægrauandum, rerum omnium cauſas & circumſtantias probè eſſe cognoſcendas ponderandasq́ admonuit:

Hieron. in epiſt. Marcellæ.

A. 1583.

ſi ſa-

ſi factum non potuit, voluntatem ſaltem aliorum excuſauit: aut cum de huius ètiam malitia conſtitit, Diaboli magis aſtutiam & ſæuitiam deplorare, quàm humanos lapſus exaggerare conſueuit, ſemper in alterius lapſu, noſtrum periculum eſſe obſeruandum metuendumq́ʒ aſſerens. Quoties illa per fortuitas etiam familiarium colloquiorum occaſiones ea protulit, quæ ſapientiſſimos etiam quosqʒ obſeruare, & interdum ſequi etiam in conſilijs non puduit? vt plurimi eſſent, qui hoc paternum planè habere ipſam dictitarent à CHRISTOPHORO illo VVirtenbergico, vero ſapientiæ miraculo: imò nemo eſſet, cui non tanta mentis & conſilij maturitas in tanta ætate diuinum potius quiddam, quàm humanum videretur. Eſt certè, eſt omninò vis aliqua originis, & ſanguinis: quoſq́ʒ DEVS pater luminum, atqʒ omnis boni in natura autor atqʒ moderator in tam ſublimi eminentiæ faſtigio collocatos vult, in eis plerunqʒ virtus non expectat annos: Sed ſemina ſapientiæ in eorum animis vt comprehenduntur facilius, ita tempeſtiuius adoleſcunt.

Jam quæ erga coniugem, illuſtriſſimum Principem, fides? quanta verecundia? quæ morum omnium ſuauitas & dulcedo? quæ obtemperatio?

Quod

Quod in vera amicitia requirit Cicero, in amicis autem optare, quàm ſperare eſt facilius, velle idem, idemq́ nolle, id illuſtris huius coniugij peculiare quaſi atq́ proprium fuit, ita vt quamuis commodiſſimis moribus eſſet Princeps illuſtriſſimus, quia tamen magnatibus illis varia in gubernationibus difficilimis accidunt, quæ ipſos ſui ſimiles eſſe non ſemper patiuntur, prudenti comitate Principis pientiſſimæ effectum ſit, vt nunquam contigerit, in quo diuerſum ipſos aut nolle, aut velle animaduerſum ſit. Memorantur mira perquam de Coniugio FERDINANDI *Regis Hiſpani, &* ELISABETHAE, *quibus tanta fuerit concordia, quanta nulli Regum vlla vnquam memoria in connubio vixerint, cuius rei teſtimonium aurei nummi publicè in mundo circumferunt. Hanc regiam laudem antiquabit hoc coniugium, quod tanta tranquillitate peractum eſſe perhibent, vt ſpecies etiam iurgij aut diſſenſionis fuerit incognita, quia nolle quod coniunx vellet, aut velle quod iſte nollet, optima Princeps in animum nunquam induxerit. Erat Romæ ſacellum in Palatio Deæ cuiuſdam, in quo ſi quid domi inter Coniuges iurgij inciderat, locuti, quæ volebant, reconciliabantur.*

Sabel. l. 7. Enn. 10. Guiccard. l. 6.

Lud. viues de Chriſt. fœmina. l. 2.

B Dea

Dea hæc viriplaca appellata fuit, quo nomine vxores monebantur, non has à viris, ſed viros ab vxoribus placandos eſſe. Hoc ſacellum quia Principi beatiſsimæ in pectore ipſo atq; animo conſtructum fuit, in quod optimo coniugi atq; illuſtriſsimo Principi, per ſuauiſsimam coniugij ſocietatem, liberrimus ſemper proſpectus patuit: nihil erat opus Dea illa Ethnica, & in domeſtico beneficio, peregrinum remedium non requirebatur. Quid? in eundem quanta fuit, quamq́; ex omni parte ardens illuſtriſſimæ matronæ caritas? Quod & alijs documentis ſemper aliàs oſtenſum, & proximè luculentè quidem, ſed infeliciter eſt perſpectum, cum à mariti in Haſsiam profecturi amplexu adeò auelli non potuit, vt ſe à vita, quàm à coniuge relinqui maluerit, tempore incommodiſsimo ſub graui prægnantis vteri pondere maritum ſecuta eò, vnde ad nos non amplius viua redijt.

Hîc illud ſilentio prætermittere non poſſum, quod ipſum quoq; ſpeciem quandam miraculoſæ virtutis continet. Commendatur in ſacris
Ruth. 1. *ORPHAE & RVTHAE mulierum Moabitidum pietas, qua ſocrum ſuam NOEMIM in Iudæam reuerſuram proſecutæ ſint, quarũ hæc ſocrum ſuam Bethle-*

Bethlehemi ſuo etiam ſpicilegio alere non ſit grauata. Digna profectò cõmendatione pietas, & tantò magis digna, quò magis orbi Chriſtiano huius pietatis exempla multa Satanas inuidet. Huius autem pietatis aut nullum vidit ætas noſtra: aut non vidit luculentius exemplum, quàm in pientiſſima noſtra Principe, quæ ipſa Socrum, principẽ illuſtriſſimam, quæ etiamnum eſt in viuis, ſitq́ue, opto, quâm diutiſſimè, omni tempore proſecuta fuit. Quid dico Socrũ? affectus & reuerentia affinitatem in ſanguinẽ permutaſſe, credi poteſt. Neq́ue enim ſocrus, ſed mater putabatur eſſe, quæ à ſe materni erga nurum nihil alienum ducebat. Contigit haud ita pridem, vt hæc in grauiſſimam valetudinem incideret. In quo languore pientiſſimæ nurus probata ſemper in Socrum pietas, magis ab omnibus comprobata eſt. Ipſa aſſidere lectulo, ſuſtentare caput, puluillum ſupponere, variare epithemata, fricare manus pedesq́ue, manu pectus confouere, mollia ſtrata componere, potum temperare, mappulam cibosq́ue apponere, omnia miniſteria ſubire, omnium ancillarum officia præuenire, & quicquid alia feciſſet, de ſuo officio & ſtudio ſubtractum putare. Quibus illa precibus, quibus lamentis & gemitu maccrata fuit, Hieron. in Epitaph. Paulæ.

 ne tan-

ne tantæ matris priuaretur contubernio, ne illa abſente viueret, cum qua vno & eodem feretro exportari mallet.

Porrò quæ in mulieribus laus eſt præcipua, verecundia, humilitas, modeſtia, taciturnitas, & quem PETRVS requirit potiſsimum, manſuetus & tranquillus ſpiritus: ea ſic in Principe iſta eluxerunt ſingula, vt ſexus iſtius verè meruerit dici ornamentum, & virtutũ muliebrium omnium theatrum quoddam. Inter Aulicos non vt domina inter miniſtros: ſed quaſi inter Cenſores atq; iudices diſcipula verſata eſt, cuiusuis reuerita conſpectum & alloquium, niſi diuerſum neceſsitas atq; vſus poſtularet. Cum quid vel animi, vel diſquiſitionis gratia colloquiorum inter dapes incidiſſet, ea ipſam verecundia fuiſſe teſtes ampliſsi. ſunt, qui perhibent, vt aut quæ voluit, per interpretem quaſi & oratorem Principem duntaxat ſit locuta: aut quia prudentiſſima erat & τὸ πρέπον probè nouerat, ſic ad interrogata reſponderit, vt etiam ſua, tanqum non ſua diceret, ſed vel Principis mariti, vel cuiuslibet alterius, vt in eo ipſo quod docebat, ſe diſcipulam fateretur. Verecundiam in ſermone, moderatio in victu, cultuq; reliquo totius corporis tanquam comes

indi-

indiuiduus comitata eſt: Et vix aliæ intemperantes tanto ſtudio voluptates corporis & delicias conſectantur, quanto hæc illas auerſata fuit. Cumq́ multis in locis tales matronæ Prncipes, vix niſi ſumtuoſo veſtium genere, contemptu cæterorum, licentia dicendi faciendiq́, quicquid collibuit, diſtingui ab alijs ſoleant: hæc ita ſeſe geſsit, vt nulla re magis, quàm modeſtia ſingulari, & humilitate ſpiritus, tranquillitateq́ à vulgaribus diſcreparet. Veſtitus vt plurimùm idem, ornatus ſimplex, rara & modica ad pompas & ſolennitates adornatio fuit, habitu delectata non pretioſo, ſed commodo, hoc eſt, quotidiano, nunquam moleſtiores à ſe dies exigi conqueſta, quàm cum præter morem quotidianum, honoris tamen cauſa, interdũ comenda vel ornanda eſſet. Et quamuis ſordes minimè ferret in his, quas in gynæceo coniunctas habebat: ſic tamen ornatus ſtudium in ſuis plerunq́ ferebat, vt in eo facilius dignoſceretur, quod neglectius incederet. Jnterim cùm domum haberet non luxu diffluentem, non faſtu inflatam, non libidine profuſam atq́ perditam, non ſtrepitu ancillarum, aut ſatellitio tumultuantem: ſed frugalitate ſobriam, modeſtia temperatam, verecundia cohercitam: ipſa ſola ſic

ornabat, ſic implebat eam, vt nihil ipſa vna eſſet auguſtius, nihil venerabilius, nihil quod ſuſpiciendum magis eſſet atq; admirandum. Familiam habebat vt non numeroſam, ita benè moratam: vt non nimijs ac turbulentis herilibus iuſſis anxiam & ſolicitam: ſic non otio marcentem atq; languidam, ſed ſedulam & officioſam, quam cum ita tractaret, vt non magis dominam, quàm matrem ſentiret: illa tamen ſic matrem agnoſcebat, vt dominam eſſe cum primis meminiſſet. Atq; hæc quidem omnia priuatim.

Publicè verò beneficentia in pauperes, cura erga afflictos, miſeratione erga oppreſſos, odio flagitiorum, inprimis deteſtatione ebrietatis, pcierationum, libidinum, & inſani illius ac Cyclopici luxus, quem cùm in alijs, tùm monſtroſis collariorum circulis præcipuè multi nunc exercent, ſic arſit pientiſſima illa princeps, vt iſtarum virtutum laude certare cum quauis ſui ordinis Principe potuiſſe, vitijs iſtis bellum quodammodo ἄσπονδον indixiſſe videretur. Titus ille Veſpaſianus, qui ob ſingularem morum elegantiam delicium orbis appellatus fuit, periſſe ſibi diem illum dicebat, quo neminem beneficio aliquo demeruiſſet. Beata verò Princeps noſtra,

quæ

quæ ſic intellexit ſuper egenum & pauperem, vt Pſal. 41.
nulla ipſi vnquam dies vacua beneficio perierit. Teſtis eſt huius rei præter donationes veſtium, præter largitiones pecuniarias, præter miſſus ferculorum, Pharmacotheca, quam in vſus ægrorum, pauperum præcipuè ſic inſtructam habuit, vt beneficium ſibi accipere viſa fuerit, cum ex iſta contulit. Longum eſt ſingula perſequi: & quæ ex multis pauca memorantur, cum breui tempore exornari pro dignitate non poſſint, carptim perſtringenda ſunt. Quid in illa virtutum, ingenij, prudentiæ commendent magni viri, vereor propemodum dicere, ne fidem credulitatis excedã, aut dolorem fortè reficem, qui recordantibus, quanto bono careamus, oboriri queant. Hoc ſolùm dico, quicquid in alijs vix magno ſtudio in vita etiam longiſsima acquiritur: hoc ſingulari diuinæ benignitatis conſilio in Principem iſtam confertim quaſi collatum, & largiſsimè effuſum fuiſſe: ita vt niſi pulcherrimum illud SOPHIÆ *nomen diuino omine à parentibus in baptiſmo accepiſſet, id ipſa virtutum ornamentis & ſtudio rerum optimarum paritura ſibi fuiſſet.*

Cum

Cum verò alia in hac Heroina admirabilia fuerunt, omnia tum ſingulare fuit & ardentiſſimum, non colendæ tantùm (quod in iſto ſexu ſatis eſſe poterat) ſed conſeruandæ etiam & propagandæ religionis ſtudium. De quo quid eſt, quod ego nunc plura prædicem? aut quid ego res, quæ magnorum ſcriptorum ingenia fatigare queant, in hac mediocritate ingenij, & in his anguſtijs temporis exornare coner? Quoties illa cum gemitu deplorauit miſerandam Eccleſiæ & religionis faciem, quæ ſic temeritate & friuola quorundam ambitione deformaretur, vt nihil propemodum in ea ſani pleriſq; in locis atq; integri cerneretur? Quoties vel ſanam mentem, vel ruinam maturam precata eſt his, qui ſchiſmatibus omnia turbare, humanæ ſapientiæ fiducia, cœlum terræ miſcere, & ſacra omnia confundere non erubeſcunt? Odio perfecto odi illos, cum Dauide dicebat,
Pſal. 139. *Nonne qui te oderunt Domine, eos oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? calua illa ac tetra perditorũ ac verſipellium hominũ turba, qui mendacijs ſuis, nuper cœlo delapſæ, & ſcrinio rationis ſuæ patefactæ veritatis nomen obtendunt, qui quod ad verbum Dei rationem ſuam dirigere grauantur,*

ver-

Verbum D E I *ad rationem ſuam detorquere non verentur, quorum anteſignani Academias occupare, in aulas principum gregatim inuolare ſatagunt, quàm pientiſſimæ iſti matronæ exoſa fuerit, dici vix à quopiam poteſt. Quoties illa vt peſtes Chriſtiani generis genus hoc hominũ fugiendum eſſe, cum gemitu admonuit? Neq; verò, quod haud parùm multi factitant, in eo, quod nouatores iſtos ac turbatores cane peius atq; angue odiſſet, pietatis omne momentum poſitum exiſtimabat: Sed eos demũ* D E O *placere intelligebat, qui non ſua in hoc mundo, ſed ipſum* D E V M *præcipuè in Filio ſuo quærerent, ab inuento diſcerẽt amare* D E V M, *illi fidere, ab eo pendere, non eũ labijs duntaxat aut ceremonijs honorare, ſed animo & mente venerari: non verbis, vultu, geſtu, habitu, rebus externis, ſed pio mentis affectu colere: tum amare proximum, ſe ipſum deſpicere: animum excolere: corpus negligere: affectus rationi ſubijcere: nihil rebus humanis fidere: calcare terrena: optare cœleſtia: credere quæ videmus cuncta, quæ tractamus, quæ ſenſibus percipimus, eſſe falſa, momentanea, caduca, imaginaria, vmbratilia: illa verò demum ſolida, vera, ſtabilia, æterna, quæ* D E V S *verè*

ipſum diligentibus præparauit. In quo veræ pietatis ſtudio dies noctesq́; domi foriſq́; Princeps iſta beatiſsima ſe, dum vixit, exercuit. His & ſimilibus alijs virtutibus, ita ſibi illa bonorum omnium animos voluntatesq́; deuinxerat, vt quanquam ex eius ætate, & temperatione corporis, probabiliter ſperare poterant omnes, ſe diu illius virtute fruituros: cuperent tamen omnes, ſi fieri potuiſſet, partem aliquam vitæ ſuæ conferre & contribuere, ad vitam tantæ Principi longiſsimam, ſuis etiam annis, prorogandam.

Sed nihil in humanis rebus firmum eſt, nihil Hebr. 9. diuturnum, nihil ſtabile. ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις, ἅπαξ ἀποθανεῖν, Conſtitutum eſt hominibus ſemel mori, inquit Apoſtolus. Mors autem vt certa eſt, ita hora mortis incertiſsima. Itaq; non rarò contingit, vt quo tempore ſeculum integrum abeſſe mors videtur, vix diei, aut horæ vnius ſpacio abſit: ſperemus gaudia, ſequatur luctus: ſentiamus læta, tractemusq́; turpia: mox in mœrore toti ac ſqualore verſaturi. Cuius fortunæ ludibrium triſte nuper in pientiſsima noſtra Principe nos etiam exercuit. Nam dum ipſa maritum, à cuius latere auelli nolebat, amicis operam in re honeſta daturum, proſequi-

ſequitur: ecce tibi inopinata, & omnem fallens vniuerſæ familiæ induſtriam lues, quæ vires pientiſsimæ Principis ita paulatim atterere & labefactare incipit, vt vix bidui ſpacio ineuitabilem ei ex hac vita migrandi neceſsitatem attulerit. Ita factum, vt quo tempore ad gaudia itum fuit, luctus maximus obortus ſit: quo loco vberrimam fore voluptatum materiam ſperatum fuit, lamentabile fatum ſucceſſerit. O fallaces hominum ſpes, ô incerta vota, ô lubrica atq; ancipitia vitæ humanæ curricula. Quin imò ô cæcam magis ſtolidiſsimorum hominum inſaniam, quæ in apertiſsimo iſto fragilitatis humanæ theatro, vel cæcutit ita, vel inſanit, vt ex ipſa incertitudine, certum ſibi aliquid polliceri audeat.

Quod ſi cæcitati iſti collyrium, vel inſaniæ remedium eſt, qui appetat: huic ego beatiſsimæ noſtræ Principis ex hac vita migrationem contemplandam arbitror, cuius nunquam laudabilius in hoc mundo vita acta fuit (cui ad ſummã laudem nihil tamen defuit) quin miraculoſior fuerit obitus, quo ſanctiſsimæ Heroinæ vita tandem concluſa fuit. Tria ſunt, quæ, cum ad extremum vitæ ventum eſt,

etiam ſpectatæ pietatis fideiq́ʒ homines de gradu interdum deijcere ſolent: doloris acerbitas, mortis metus, & quod ab amiciſsimis hominibus faciendum eſt, diuortium. Et ſunt quidem, qui quamdiu à ſe mortis periculum abeſſe confidunt, vim morbi atqʒ cruciatum quemuis præſenti ſatis animo ferunt. Sunt &, qui, dum ne graui & diuturno dolore crucientur, ad neceſsitatem moriendi haud illibenter ſe attemperant. Deniqʒ reperiuntur, qui, ſi iacturam chariſsimorum hominum facere æquo animo queant, vtramqʒ illam difficultatem pacata mente ſuperant. Qui hæc omnia ſimul præſtet, ſic, vt neqʒ morbi ipſius frangatur vehementia, nec imminentis mortis metu terreatur, nec percellatur conſpectu ſuauiſsimorum hominum, à quibus iam iam facienda eſt diſceſsio: huic pectus non humana fortitudine, ſed diuino planè robore armatum munitumq́ʒ ſit neceſſe eſt. Cuius laudis palmam Princeps noſtra etiam, cum vſuram lucis huius eſſet relictura, omnium confeſsione abſtulit. Quæ cum tales morbi dolores ſuſtineret, qui vno tantum biduo vitæ telam ipſi abrumpebant, nimirum acutiſsimos: ita ſibi horum acerbitate non eſt paſſa frangi animum, vt hos etiam

diſsi-

diſsimulauerit, præſertim apud eos, quos grauius hoc nuntio affectum iri fortè iudicabat: grauiorem nimirum arbitrata dolorem, quem ex aliorum ſympathia conceptura eſſet, quàm eum, quem in proprio corpore ipſa perſentiſceret. Taceo quod cum Sanctiſsimi Sacramenti viaticum antè paulò quàm ad aliam vitam commigraret, accepiſſet, audito prius veniæ de peccatis Euangelico nuntio, quam ſacer Myſtes diuina autoritate ipſi impertierat: ſic illa vim morbi premere, ſic dolorum acerbitatem heroica fortitudine elidere potuit, vt non lecto reclinata, non exedræ inſidens: ſed ſtans atq; erecta extremo hoc ſacrorum officio defuncta ſit. Mortem verò ſibi ſtatim ab ipſo morbi principio certam atq; exploratam adeò non exhorruit, vt eam ſuis non præſagiret tantùm, ſine vlla aut vultus aut animi perturbatione: ſed ſubinde optaret etiam: omnem ſibi principatum, omnia regna, omnes coronas ſordere aſſerens, præ illa immortalitatis corona, quam ſibi in cœlis repoſitam conſideret. Ac ne cui dubium ſit, præſciuiſſe eam non in morbo tantùm, ſibi ex eo moriendum eſſe: ſed prius etiam, quàm morbo corriperetur, finem vitæ ſibi imminere: eius rei haud obſcuras diuerſis

 vici-

vicibus ſignificationes dedit. Conſtat illud, cum diem illam obitus huius funeſtam horrenda eclipſi notatam natura voluiſſet, tabula ephemeridum requiſita, ſcire ipſam cupiiſſe, quæ hora eſſet futura terminandi illius ſolaris deliquij: cumq́ nonam accepiſſet, ſubieciſſe, Eadem vitæ etiam huic meæ terminum afferet. Contigerat paucis antè diebus, vt ſubita morte extingueretur Plancus homo equeſtris ordinis, qui Principi noſtræ aliquandiu fuerat à miniſtrandis poculis. Huius mortis nuntio accepto, ſtatim illa, Proximo loco ſeſe eſſe Plancum ſecuturam, ſubdidit. Cumq́ & canis generoſi, & equi, & pſittaci iacturam haud ita pridem eadem feciſſet: hæc omnia ſuæ aduentantis & appropinquantis mortis præſagia eſſe, ipſamet apud domeſticos interpretata eſt. Priusquam iter nouiſſimum ingrederetur, rei non veſtiariæ tantùm, ſed pretioſæ etiam vniuerſæ reliquæ catalogum conſcripſit, geminato indice, quorum alterum ſibi retinuit: alterum miniſtræ atrienſi, cui harum rerum commiſſa erat cuſtodia, tradidit, hoc addito reſponſo, ſe mortua, fidei miniſtræ, indicis huius teſtimonio, rectiſſimè cautum fore. An hæc præſcitæ mortis non manifeſta ſunt indicia? in quibus tamen, quod

metus

metus aut conſternationis ſpeciem attuliſſet, nec minimum quicquam deprehenſum fuit. Ecquis eſt verò, qui vel fando aſſequi, vel mirando etiã æquare poſsit, qua non tranquilli tantùm: ſed magnanimi etiam pectoris conſtantia ab his, quos in mundo dilectos relinquebat, diſceſſum fecerit? Præſentes non officij tantùm ſui, in pietatis potiſsimùm ſtudio, admonuit: ſed qua animi moderatione obitum ſuum lugere debeant, edocuit. Abſentibus, cum extremum vale coràm ipſa dicere non poſſet, à quibus, & quo modo diceretur, accuratè diſpoſuit. Aderat ex his quibus poſtquã à Deo diſceſſum eſt, ſummus amor debebatur, coniunx mœſtiſsimus. Huius ipſa dextrã prehenſare, &, Quando, inquit, hæc hodiè illuxit dies, quæ nos in vita hac mortali diſiungit, te, ô chariſſimũ pectus, diuinæ protectioni commendatũ volo, tibi pro conſtanti fide & amore gratias ago: offenſis, ſi quæ interceſſerunt, veniã hanc extremã flagito: & quoniã ſic viſum eſt hodiè Deo, vt ex hac lachrymarum valle me educat, tu, quæſo, ne voluntati diuinæ obſtrepe, fac modũ mœrori, cũ defuncta fuero, & te ſubditorũ tuorũ ſaluti & ſolatio reſerua: pignora pectoris mei, quæ relinquo, quia pars etiã magna ſunt tui, quin educatiõi piæ adhibiturus ſis, nulla dubito.

Vnum

Unum eſt verò, quod me abs te rogare hora hæc extrema iubet: Religionis ſinceritatem, quam vterq; hactenus profeßi ſumus, conſtanti animo retine, & quæ huic ſtruuntur à nouatoribus inſidiæ, his te ne latum quidem vnguem ab ea, quam coluimus fide, dimoueri patere, vt quemadmodum huius vitæ conſortio nos frui diuina voluit clementia, ſic beatæ etiam vitæ ſempiterna conſuetudine perfruamur. Dixit: *& quando interim diſſolutionem ſuam magis magisq; imminere ipſa optimè ſenſit: anima* DEO *aliquoties per pias preces, & cum ſummo gemitu commendata, corpore ad quietem compoſito, ſpiritum, quem à* DEO *acceperat, digna immortalitate Princeps, & ad relinquendum omnibus bonis perpetuum ſui deſiderium nata, eidem tranquilla indormitione reddidit.*

O triſtem & luctuoſum nobis magnoperè pijſſimæ Principis obitum: ô iterum atq; iterum triſtem atq; miſerum. Quia geminum ſtatim vna morte funus inductum congeſtumq́; fuit. Nam in materni corporis ſepulchro triſte funus fuit alterum, in quod cum ad leuandum dolorem noſtrum prodire nobis non conceſſum eſſet: affectus materni, acerbitates dolorum & ſanctißimæ illæ στοργαὶ *in afflicto*

mori-

morientis pectore prodierunt: ſic vt prius ſepulchrum, quàm funus, princeps optima facta ſit. O Chriſte te appello, tu ſobolis miſertus, cui vitam in vtero es largitus, ſalutem in ſanguine tuo minimè vtiq; negaſti: tu, quod miniſterio fluminis conferri non potuit, beneficio flaminis tui indubitatè contuliſti. Hoc tua immenſa bonitate nixi credimus: hoc precum ardore moti, quas hæc tota regio diu largiſsimas hoc nomine ad te fudit, perſuaſiſsimum habemus. Non ſanguinibus hoc damus, non Ioh. 1. *voluntati carnis, aut viri hoc tribuimus, quod fex illa eructat hodiè, quæ caluis ac tetris opinionibus permiſcet omnia ac confundit. Nouimus originalem labem, agnoſcimus & fatemur communem luem, quæ mortem nobis ex nobis iuſtiſsima cauſa conciliat. Sed de tua bonitate, Chriſte optime & miſericors, benè nobis pollicemur, qua culpas etiam noſtras clementiſsimè expiare, maximè verò defectus, ſi qui contingunt, tu paternè compenſare ſoles.*

Quis hic verò dabit capiti meo aquam, & Ierem. 9. *oculis meis fontem lachrymarum, vt die noctéq; populi mei calamitatem deplorem? O nos miſeros, & iam ſemiperditos, ſi non ſentimus, quæ ſint iſta*

impendentium malorum omina & præſagia, imò etiam πρόδρομοι: *miſeriores multò, ſi ſentimus, nec ocyus reſipiſcimus: miſerrimos verò longè, ſi non modò præuiſis calamitatibus vitam in melius non commutamus: verùm etiam eò deſperatæ cæcitatis & malitiæ progredimur, vt putemus nos non poſſe aliter viuere. Luctum & mœrorem non prohibeo: ſed eum qui iuſtiſſimus, quiq́ utiliſſimus eſt, præcipuè requiro, qui nobis ſcelerum & flagitiorum admiſſorum ſeriam deteſtationem afferat: Murmuret quiſq́ aduerſus peccata ſua: ſcrutemur vias noſtras, & reuertamur ad Dominum: Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cœlos: Nos iniquè egimus, dicentes, & ad iracundiam te prouocauimus: idcircò percuſſiſti nos. Reliquum dolorem, quem ex iacturæ tantæ Principis, tam præſtantis Heroinæ, tam piæ matris omnium percepimus, ipſius religionis & fidei noſtræ conſideratio mitiget, de qua cum piè D. Hieronymus in epitaphio Bleſillæ, illius malo, quàm meis verbis vos de iſta admonere. Cur inquit dolemus quenquam eſſe mortuum? An ne .n. ad hoc nati ſumus, vt hîc æternum maneamus? Abraham, Moſes, Eſaias, Petrus, Paulus mortuus eſt, & ſuper omnia Filius Dei moritur: & nos indignamur aliquem exire*

Thren. 3.

de cor-

de corpore, qui ideò forſitan raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius? Placita enim erat DEO *anima eius: propterea properauit educere eam de media iniquitate, ne longo vitæ itinere, deuijs oberraret anfractibus. Lugeatur mortuus: ſed ille, quem gehenna ſuſcipit, quem Tartarus deuorat, in cuius pœnam æternus ignis æſtuat. Nos quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus obuiam* CHRISTVS *occurrit, grauemur magis, ſi diutius in tabernaculo iſto mortis habitemus: quia quamdiu hic moramur, peregrinamur à Domino: Illa illa nos cupido teneat, Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata eſt, habitaui cum habitan-* Pſal. 120.
tibus Kedar, multum peregrinata eſt anima mea.

Cæterum tu vidue mœſtiſſime, Princeps FRIDERICE VVILHELME *illuſtriſſime, tuq; inclyta Princeps mater, cur mœrori modum non ſtatuitis? Quod tempore mitigandum eſt, cur ratione, obſecro, non vincitis? Ad vos, non vt terream, loquor: ſed quaſi iuſſu* DEI *agens, in hæc verba vos conuenio: deteſtandæ ſunt lachrymæ, incredulitate pleniſſimæ, ſacrilegio ſimiles (iterum, loquor cum Hyeronymo) quæ non habent modum, quæq; ad viciniam mortis accedunt.*

Ploras optime princeps, tuq́ꝫ mater inclyta eiulas? ſed ad quemq́ꝫ veſtrum miſerans ingreditur Ieſus, dicens, Quid ploras? non eſt mortua Princeps SOPHIA: *ſed dormit. Quod ſi ad imaginem defunctæ aſtatis lachrymabundi, ſi ad ſepulchrum eius volutari volueritis, ſi reliquias mundi, aut ſupellectilis eius cum gemitu & deſiderio tractatis: Angelus vos increpabit: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Si quàm facilè vterq́ꝫ veſtrum præſtat, vt ab omnibus vno ore laudemini, tam libenter eos, à quibus laudamini, audiretis: commemorarem hoc loco laudum veſtrarum encomia, quod tempus non ſinit tamen. Harum ornamenta ne quis vobis impotentior luctus deformet, etiam atq́ꝫ etiam attendite. Tum illud deniq́ꝫ ponderate,*
Pſal. 86. *quod eſt à Pſalte proditum: Onus quidem nobis imponit* DEVS: *ſed idem* DEVS *eſt ſalus noſtra:* DEVS *noſter,* DEVS *eſt ſalutum, Domini* DEI *ſunt exitus mortis. Nimirum onerum iſtorum* DEVS *ipſe autor eſt: bonus autem* DEVS *eſt, & omnia quæ facit, bona ſint, neceſſe eſt. Atqui idem quoq́ꝫ ſalus noſtra eſt, vt cum percuſſerit, ſanare etiam queat: Imò* DEVS *noſter* DEVS *eſt ſalutum. Non enim ſemel atq́ꝫ iterum dun-*

duntaxat ſuam nobis opem præſtat: ſed innumera eiuſdem ſunt auxilia: infiniti quoq; DEO ſunt ſalutis modi, vt & per pauca & per multa: per parua pariter magnaq́; , imò etiam per nihilum, non in vulgaribus tantùm malis: ſed in ipſo etiam mortis exitu iuuare queat. Compoſitis ergo ad tolerantiam & moderationem animis cum vatidico Pſalte omnes dicamus: Benedictus DEVS ſit quotidiè, ſit nomen eius ſanctum in ſecula. Dominus dedit, Iob. 1. *Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum, nunc, & in ſempiterna ſecula. Ita eueniat, ita eueniat Domine IESV, cui laus omnis & gloria debetur in omnem ſempiternitatem.*

DIXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPICEDION EIVSDEM BEATISS. SOPHIAE SAXONICAE.

VT peregrinantis refert hæc vita labores:
Sic peregrinanti vita reſecta mihi.
Hoc animo florens multum perpende iuuentus,
Hoc tibi propoſitum mente viator habe.
At patriæ hunc lenit cœleſtis vita dolorem,
Qua mecum vt poſsis viuere, viue piè.

G. M. D.